Quelle: http://manuscripta.at/?ID=887
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Et post illum scripsit librum Anxigot magister filie Regis
ptolomei Quem vocauit Almanach Et hic quidem
pro diuturnitate temporis hiis diebus satis ab exquisite calcu-
lacionis veritate declinat / Sed qui perfectius hec tractauit
Abenragel hispanus in libro suo Qui sic incipit
Scito quod annus lunaris etc / Cuius radices constitute
sunt super annos Arabum qui dicuntur machometi ad
mediam diem ciuitatis Toleti Cuius longitudo est ab
occidente vero 28 gradus et medietas vnius / latitudo vero
ab equatore 40 gradus fere Et multi multos libros Canonum
ad ciuitates suas super annos domini scripserunt ut est ille
qui ad mediam noctem ciuitatis marsilie / Alius ad mediam
diem indomiarum Et alius ad mediam diem tolose que
est sub eodem meridiano cum ciuitate pisius Cuius longitudo
ab occidente vero est 40 gradus et 30 minutorum fere / latitudo vero 48 gradus
et 40 minutorum / Sunt preterea libri necessarii de hac parte
scientie qui per viam narracionis demonstracionis plani
sperii inuitant ut est ille quem transtulit Johannes hyspalensis
qui sic incipit Astrologie speculacionis etc / Et alius
hermani incipiens / hermanus xpi pauperum etc / Et
alius Mascelamach qui sic incipit Opus astrolabii etc
Et item alius secundum Johannem hyspalensem de utilitatibus
et opere astrolabii qui sic incipit primum capitulum in inuencionibus
Isti sunt vtiliores ex libris astronomie de motu qui
in latina lingua inueniuntur / Perspectiua enim Aristotilis
ad supradicta non descendit / Et isti sunt libri qui si as-
pectibus verorum desideriorum subtecti fuerint magna
pars et valde nobilis philosophie erit sepulta saltim ad
tempus donec sit consilio saniori resurgat / quia sicut